



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita B. Francisci Salesii, Episcopi Et Principis Gebennensivm Meritissimi

Maupas du Tour, Henri Chauchon de

Coloniæ Ubiorum, 1663

Pars Prima. Vita usque ad Sacerdotium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42882



VITA
 B. FRANCISCI
 SALESII,
 EPISCOPI ET PRINCIPIS
 GEBENNENSIS,
 PARS PRIMA.

CAPUT I.

Genus.

In rerum quarumcunque ini-
 tia, earundem ferè pars mini-
 ma sunt, & tenuissima quidem;
 multò potius prædicare cum S.
 Hieronymo^[a] possumus, *in Chri-
 stianis non spectari initia, sed finem.*

Et verò, probrosum esset impri-
 mis, postquam præclatè inceperis, desinere vitio-
 sè: quàm honorificum contrà, si fortè malè, & ex
 casu, ac præcipitio cœperis; desinere tandem sic,
 ut te corona postmodum, præmiùmque maneat?
 Sed enim omnè tulit punctum is, cui ætas sic de-
 cursa est, ut neque initia, neque progressus, neque
 finis quidquam habuerint, nisi perfectum, neque

A illu-

(a) Tomo 9, in Regulâ Monachorum ex ipsius Scriptis
 collectâ.

3 VITÆ B. FRANCISCI SALESIÏ
illustri quoque dono naturæ, gratiæve vacaverint, ut in Francisco nostro contigit.

Solenne ferè iis est, qui Vitas hominum aut bel-
latorum, aut civilis tantùm procuratoris laude
illustrium conscribunt, ordiri à claritudine gene-
ris; sic, ut existiment Scriptores istiusmodi, immi-
nui à se illorum gloriam, quorum de rebus tra-
dunt, nisi in commendationem eorum excurre-
rint, à quibus ducunt originem. Aliud institu-
tum sequi debent ii, qui Vitas Sanctorum edunt:
ipso initio progredi debent ad fontem, ex quo to-
ta eorum dignitas manat, hoc est, ad Dominum
Deum, breviterque perstrictis rivis, qui ex illâ per-
ennitate ut undarum, sic bonorum omnium pro-
fluunt, in supremâ illâ liberalitate Conditoris in-
vestigare laudum omnium, quotquot iis tribuntur,
materiem: quandoquidem nihil neque in ge-
nere honorum Naturæ, neque in Gratia obtinent,
quod non ex divinâ illâ scaturigine profluat. Ele-
ctos, quotquot sunt, *predestinavit Deus*, inquit Pau-
lus Apostolus, *[b] conformes fieri imaginis filii sui*: illius
autem Unigeniti sempiternam quidem originem
nobis proponit Psalmographus, *[c] in splendoribus
Sanctorum*; temporariam S. Joannes, *[d] in plenitu-
dine Gratia*. Et verò cum ex definitione S. Diony-
sii, Sanctitas in eo posita sit, ut omni terrenâ con-
cretionem vacent ii, quibus ipsa inest, meritò Sancti
videantur sensum omnem exuisse rerum humili-
um, hoc est, earum quæ ad humum pertinent: cum
enim ad cælum fruendum natos se esse intelligant
nihil eorum quæ cælo inferiora sunt, generose
ill

(b) Rom. 8. (c) Ps. 109. (d) cap. 1.

PARTIS I. CAPUT I.

Illorum ad sublimia conatus remorari queat, aut
 inhibere: quam eandem in sententiam cecinit
 Rex Psaltes; [c] Ego dixi: Dii estis, & filii Excelsi omnes.
 Proinde hunc ad modum spectandus nobis Fran-
 ciscus Salesius, cujus scribendam Vitam suscepi;
 demonstrandumque, quid tandem; quantumque
 Gratia tanquam in solo aptè subacto, hoc est, in
 mente egregiè Deo fideli, valeat atque efficiat; at-
 que idcirco ea penè tantum attingemus, quæ ad
 Viri sanctitatem pertinent.

Nec me tamen latet; à S. Hieronymo, in Epi-
 taphio S. Paulæ, observari, ipsam ab Agamemno-
 ne genus duxisse: utque tradit Plinius, tanquam
 in cunabulis, sic in auro exquisitissimo, adaman-
 tem existere; sic virtutem, natalium claritudine
 radiisque delectari, ut ita dicam: itemque ut, refe-
 rente Mathiolo, ex cunctis Calabriae Apuliaeque
 arboribus, una fraxinus manna è cælo depluens,
 retinet, ceteris illud ad terrâ delabi sinentibus; sic
 evenire sæpenumerò, ut Nobiles longè sublimius
 virtutem excolant, virtutisque exercitationes u-
 surpent, quàm ii qui in pulvere, ut ita dicam, ena-
 scuntur. Sed quoniam demonstratum jam est ab
 iis qui argumentum idem persecuti sunt, gentem
 tum Salesianam, unde paternum Francisci nostri
 genus, tum Charansonnetiam, unde maternum,
 inter eas numerari, quæ apud Allobroges nobili-
 tatem à majoribus ad se ex longâ annorum aut et-
 iam seculorum serie transmissam gloriantur; non
 immoror hîc diutiùs. enumerarunt iidem viros
 illi tres ex utraque stirpe, qui identidem de suis
 Principibus, deque patriâ, rerum gestarum magni-
 tudine

(c) Psal. 81.

A 2

tudine

4 VITÆ B. FRANCISCI SALESTI
tudine præstantiâque optimè meriti fuerunt,
Et verò nemo dubitat, quin illi & bellicâ glo-
riâ claruerint, & consilii prudentissimam quan-
dam maturitatem adhibuerint in civilibus delibe-
rationibus: eorundemque moderatio admiratio-
ni sæpenumerò fuit, dum in certaminibus quibus-
que maximè arduis, inque præliorum aleâ suis ipso-
rum exemplo confirmârunt, posse nonnunquam
arma, ferrumque tractari, sic, ut non propterea
bellum virtuti indicatur. Sed cuncta hæc decora
prætermitto, dotésque præclaras naturæ, fortunæ,
magnanimitatis, quarum quidem ornamenta pro-
fanam historiam illustrare mirum in modum que-
ant: nos nunc in sanctâ versamur.

Videre itaque mihi videor felicem infantulum
nascentem inter tot res tam mirabiles, ut non nisi
ad sublimia quæque destinatum à Deo fuisse, non
obscurè potuerit à quolibet deprehendi: utque
proditum est à quodam è SS. Patribus, Baptistam
illum, Filii Dei Præcursorem, maternâ in alvo ex-
ultâsse, ubi primùm in præsentiam Jesu Christi
venit, idcirco quòd gestiret prodire confestim in
lucem, ad obeundum ministerium suum, atque ad
nunciandum orbi terrarum, adventare Messiam,
cujus ipse esset prodromus; sic crederes, Francis-
cum, qui ad vitiorum monstra edomanda veniret,
ad fideles institutos, ad reducos ad Ecele-
siam, fidemque Orthodoxam, tam multos, qui à
recto tramite devii abetrabant, ferre impatientius,
quòd nondum salutes illas occupationes capel-
lere liceret, iterque cœli pandere tot mortalium
millibus, qui adventum præstolarentur ductoris fi-
dissi.

diffimi ejusdem, & scientissimi. Et verò cum mater mense septimo edidit, [f] quasi quem olim tam illustribus gratiæ virtutumque muneribus locupletare Dominus constituisset, ei jam tum deberetur illa velut prærogativa, ut communem nascendi conditionem tempore anteciret. Et jam antè, Deo illum obtulerat pia mater, tanquam suum olim Isaiam religiosa genitrix, ad sacrum Domini Jesu Sudarium, quod peculiari quadam veneratione semper profecura est.

Et oblatum munus tam benevolè tamque jucundè Deus excepit, ut ad Baptismalem gratiam tam multa dona alia è cælo contulerit, ut proclive fuerit æstimare, qui demum, quantumque progressus ad sanctimoniam futuri essent in puero, quem jam inde ab initio tam abundè præveniret Dominus in benedictionibus dulcedinis. Naturâ cedente gratiæ, prius Christianus fuit, quàm alii homines esse incipiant: ac si Commodus ille Imperator gloriari solitus erat, se uno eodemque momento salutatum à Sole fuisse hominem & Principem; quantò illustriùs gloriari Franciscus potuit, se mense septimo baptizatum, collustratum fuisse Solis justitiæ splendoribus, haud paulò antè, quàm infantuli alii ex peccato originis emergant a uno verbo, blanditus est illi Deus intereà, dum ejus æquales erant adhuc iræ filii. Porrò cum de prædestinatis omnibus sit illud S. Pauli effatum: [g] *Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui*; de Francisco propriè dixerunt tum viri graves alii, tum imprimis Eminentissimus Cardinalis Berullius, illius ætatis

A 3

par-

(f) Anno 1567. 21. Aug. (g) Rom. 8.

VITÆ B. FRANCISCI SALESII
partes omnes, sic à Deo fuisse singulari quadam
curâ dispositas, ut in singulis, adorandæ Humanita-
tatis Christi Domini imago quæpiam eluceret.
Diceres, conformationem vultûs ad benignita-
tem, astabilitatem in communi consuetudine, di-
cta, facta, corporis temperationem, motus omnes,
tum interiores tum exteriores aptissimè compo-
sitos, ex divinâ illâ effigie expressos fuisse, sic, ut
Franciscus simulacrum quoddam esset vivum ac
spirans Christi Jesu in terris versantis, agentisque
cum mortalibus. Quare si filiorum cum parenti-
bus similitudo, probat ferè unde quisque genitus
sit; quando in puerulo de quo agimus, ea fuit cum
Christi Domini imagine similitudo; ex tam singu-
lari prærogativâ æstimet quisque, quàm illustri ex
genere sit,

CAPUT II.

Ortus: Baptismus.

ET si in opificiis Dei omnibus infinita quædam
sapientia relucet, in hominibus tamen ad sem-
piternam felicitatem provehendis longè mirabi-
lior videtur esse ejus providentia, ex modis variis
ac multiplicibus, quos ad sanctitatem eorum in-
mentibus ingenerandam usurpat. Videlicet non-
nullos efficacissimâ quadam impulsione, quæ ta-
men libertatem minimè violet, ab statu crimino-
sissimo, momento transfert ad statum summæ gra-
tiæ, expugnatâ confestim contumaciâ illâ humanæ
voluntatis, quæ tam sæpè Deo vocanti resistit: at-
que

que eo modo S. Paulus ex infectatore, Christi Jesu prædicator evasit: nonnullos inde ab alvo maternâ seligit, prævenitque in benedictionibus dulcedinis, ut cum Psalmographo loquamur, at tam leniter tamque placidè, ut advertere vix queas. Utrique, illorum in numero sunt, quos diligit Caritas, atque adeò potioribus donis honestat, unde in ordine gratiæ illustrem quemdam locum obtinent: quippe in quos divina liberalitas ex intimo amore perfecta non modò effundatur, sed etiam exundet. Hæc ferè ex illo desumpta, cujus Vitam scribimus, Francisco Salesio, qui alios describens, suam ipsius delineavit imaginem: ut affirmare liceat id ipsi evenisse, quod eodem illo loco ait contingere nonnunquam, ut divina illa beneficentia quandoque ripas transcendat, quas sibi ipsa proposuit: utque amnes extraordinariâ aquarum affluentia restagnant aliquando in vicinam planitiem; sic munera cœlestis gratiæ in ipsum tam vehementer exundâsse, ut beatam illam animam benedictionibus operuerint rotam, quò Deus sui in eum amoris opes, si fas dicere, ostentaret.

Natus est Franciscus anno septimo & sexagesimo supra millesimum quingentesimum, XII Cal. Sept. in cubiculo Castellî Salesiani, S. Francisco Assisinati dicato; unde matris consilium, ipsam tanto Patrono dicandi, indendique Francisci nomen in Baptismo, per quem statim cooptatus est in Dei Christi que familiam: felice præfagio sanctitatis illius, quæ in innocentissimæ viræ decursu eluxit: cum eâ alterius Francisci cum altero similitudine, quòd sicut uterque Christi crucifixi

imaginem imitatione expressuruserat; quo modo ille antequam nasceretur in stabulum delatus est, ad venerationem loci, in quo nasci Christus voluit, hoc est, Bethleëmitici præsepis; ita hic antequam ederetur in lucem, delatus est ad sacrosanctum Sudarium, quò ejus animo alius Christi sepulti veneratio imprimeretur. Addo, ut observat Clemens Alexandrinus, [a] legem quidem scriptam, principio in rubo traditam Moyse fuisse, legem gratiæ consummatam à Christo, qui est sæculorum initium & finis, tum, cum coronâ ex spinis confertâ redimitus est; sic à Francisco utroque mirabilem quemdam confectum circulum fuisse, quò initia cum fine connecterentur, hoc est, ut ambo totam Christi Jesu vitam imitatione complecterentur, dum alter quidem nascentem adumbrat, alter demortuum.

Et efficacitate quidem pari, vim suam exerit, exercetque gratia Baptismalis, ubicunque par est eorum quibus confertur, dispositio: verumtamen, videre quosdam est, peculiari quodam modo à Deo lectos, tanquam præstantissima quædam officina divinæ bonitatis, in quibus cœlestis ille character tam altè imprimatur, ut (salvâ tamen humanâ libertate) imbuere statim videatur animæ ipsius essentiam, tamque feliciter ipsius potentias, quæ dicuntur, facultates, appetitiones, propensiones, atque adeò motuum omnium œconomiam, sensuumque quorumlibet functiones implere, ut dici aliquo modo queat, gratiam jam tum innocentissimis illecebris mentes eas sibi devincere, sic, ut illas undique ambiat, & tanquam altera

(a) lib. 2. Pedag.

PARTIS I. CAPUT II.

natura, ut ita dicam, modo quodam, qui capi vix
 possit, domestico tamen, & perfamiliari, ac, nihilo
 secius sublimi imprimis, hominem transformare
 in se ipsam, ac, si fas dicere, eodem modo mentes
 eas informare, quo mentes eæ suum quæque cor-
 pus informant: ita ut proportione aliquâ, velut
 Christus Jesus, quem imitandum sibi proponunt,
 crescant ætate & sapientiâ, tam præstanter, ut in
 iis sanctitatis vim potius, quàm progressum æta-
 tis agnoscas. Horum numero accenseri Franciscus
 meritò debeat, quem inde à primâ ætatulâ spiritus
 Dei egerit, rexitque: cùm enim necdum sui
 compos esset per ulum rationis, ablegabat tamen
 jam tum ludicra, illi ætati tam propè insita, ut eam
 in plerisque ferè omnibus comitentur; quod
 quandoquidem naturæ vires manifestè superabat,
 non nisi gratiæ efficacitati tribui potuit: ita, ab ipsis
 penè incunabilis quæri de illo poterat, quod de
 magno quondam Baprista cum plausu atque ad-
 miratione quæsitum est: *Quis putas, puer iste erit?* [b]
 Quòd si ex Psalmographi effato. [c] *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini*; an non me-
 ritò opinati non nulli sunt, in beatorum illorum
 numero reponendum Franciscum esse, quem æsti-
 mârunt nunquam à gratiâ Baptismali excidisse, nul-
 lâ unquam labe inquinâsse candorem illum inno-
 centiæ, quem vestis illa designat quæ tunc pro insi-
 gni ornatu cuique regeneratorum injicitur, admo-
 nens videlicet, à Christianis hominibus vitam sic
 debere institui, ut casti semper mores, purique
 sint: ac si sub pallii recogitatu improbos mores

A 5 eva-

(b) Luc. I. (c) Psalm. 118.

10 VITÆ B. FRANCISCI SALESII
evanescere aiebat Tertullianus; iste nosse
Beatus meritò videatur, acceptâ stolâ illâ primâ,
hoc est, gratiâ Baptismi, unde ingressus in Ecclesi-
am panditur, aditusque ad Sacramenta reliqua;
sic usus fuisse, ut innocentiam gratiâque totâ de-
inceps ætate tenuerit, tamque abunde instructum
è cælo fuisse donis Spiritûs sancti, gratiis gratuitis,
quas vocamus, ipsâque gratiâ habituali, ut ejus li-
bri, quotquot scripsit, vox, exempla, imbuta cœle-
sti luce, atque ardore sic fuerint, ut Orbis totus
inde sanctificari potuerit.

Consultò inhibeo me ipse in prærogativis pri-
mæ Francisci ætatulæ describendis, ut conjecturæ
legentium, campum amplum relinquam, ita dum-
taxat, ut morum sequantur spiritûs Dei, neque à
Christianæ prudentiæ finibus recedant. Tria qui-
dem hæc prædicare possumus, Sanctorum incuna-
bulis prærogativas quasdam reservari à Deo: vi-
ctrices illas gratias, per quas supra vulgarem homi-
num reliquorum conditionem evahuntur, neque
fasciulis vinciri primæ illius ætatulæ, neque tenui-
bus illius ætatis progressibus circumscribi: filios
Dei, cœlestisque regni hæredes non idcirco ab iti-
neribus gratiæ excludi, quòd infirmâ ætate sint,
Deumque eundem, qui apud Isaiam profiteretur [d]
create se cælum novum & terram novam, in vasa ele-
ctionis puellulos æquè ac senes conformare, ele-
ctorumque suorum coronas ex singulis vitæ ipso-
rum partibus contexere.

(d) Isai. 65.

CA

CAPUT III.

Verba Francisci prima: illustria in eodem quaque, ad annum usque ætatis decimum sextum.

Cùm Spiritus Domini regendum fingendum-que Franciscum suscepisset, intra perbreve temporis spatium in eo consumpsit quidquid natura, sub illa primordia ætatis, imperfectum ac rude habere solet in aliis; quò vas vacuum sincerumque impletet deinde affatim donis illis, quæ in ipso postmodum tam illustrem in modum enituerunt. Quare brevè, ut myrrha, dum aggesta copiosè est, suo ipsius pressa pondere, odorem afflat suavissimum; sic Francisci cor, quod jam tum divinæ flammæ amores persentiscebatur, in ea primùm verba erupit, *Diligunt me plurimum Deus & mater mea*: unde liquido perspicias, quis jam tum esset pueri sensus interior.

Vix quadrimulus, sacra Altaria venerari cœpit, Oratoria, Tabernaculaque, quæ dicimus, erigere & ornare, Sacerdotum in Templis ministeria imitari, adumbrare Ecclesiasticas cerimonias, Missarum Sacrificio, divinisque Officiis interesse flexis genibus, Angelicâ quadam modestiâ, fixis perpetuò oculis in Altaris parte eâ, in quâ Christi Domini corpus asservatur, animo mirabilem in modum collecto, pietatis sensu incredibili. Jam tum, videlicet, usurpare poterat illud Psalmographi, [4] *Manè astabo tibi*: ac vicissim dicere de illo quisque potuit, planè repræsentare ipsum illud S. Augusti-
ni,

(a) *Psalm. 5.*

ni, [b] *Imponent super altare tuum vitulos, id est, innocentiam primæ ætatis, & libera colla à jugo mundi: conspirantibus inter se Naturâ & Gratiâ, ad illius in omni genere perfectionem atque absolutionem.*

Opificium suum illud Deus artifex exquisitissimâ forma ornaverat; modestiâ, cui nulla penè par; majestate tam suavi, ut in illum intueri sine venerationis sensu quodam, & admirationis vix posses; neque dotes eæ inutiles erant: quippe quibus tanquam mutâ quadam eloquentiâ, raperet animos, illud jam tum oris venustissimâ dignitate persuadens, quod nondum per eam ætatulam exprimere rationis efficacitate poterat; ut ad eum traduci meritò queat illud Augustini de sanctis Martyribus, [c] *Tacet lingua, sonant facta.* Inde à primæ pueritiæ, egentium patronum agere instituit, tum in eos distribuendo quicquid de demerso quotidiano subducere sibi ipse poterat, tum alios, quotquot poterat, & adhortationibus, & suo ipsius exemplo allecctando ad id cœlestis mercaturæ genus, ex benevolentissima caritate; quam quidem caritatem non modò in egentes, sed etiam in alios quoslibet, à quibus officii aliquid in se esset profectum, profusâ liberalitate exercebat. Documentum esto, quòd cum aliquando trajecto flumine cum parentibus, ortam altercationem de naulo cum naviulariis videret, *Heus, inquit, isti sudore manant ex defatigatione nostræ causæ susceptæ: an non aquisimum est illis planè satisfieri?* quæ cum singulari quadam comitate dixisset, facilè vectores adduxit ad id quod concupiscebat. Nimirum ita est: [d] *Vir obediens loque-*

(b) *In Psal. 50. (c) Serm. 49. de Sanctis. (d) Prov. 21.*

loquetur victorias: cum Franciscus morem parentibus gereret tam perfectè, ut quocunque impellerent, eò perlubenter sequeretur; ita ipsi vicissim nihil negare puero poscenti poterant: præsertim cum nihil posceret, nisi æquum; nihil fando proponeret, quod non cum recta ratione, cumque religione consentiret.

Jam, quoniam, ut est apud S. Cyprianum, *Fruitus non invenitur in arbore, in qua flos primum non apparuerit; neque est honor in senectute, nisi fuerit disciplina in juventute*; invigilarunt maturè parentes in parvuli educatione, qui jam tum *ut palma florebat*. [e] Sexennis admodum, traditus in disciplinam Aneienti Gymnasiatchæ brevi miros fecit progressus: atque ut in illo semper gratia naturæ anteibat, tanquam aquila ad solem, sic ipse statim ad Deum conversus est, quasi illud Salomonis sibi propriè dictum putaret, [f] *Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ*. Jam tum videlicet frequenti precatione, lectione librorum piorum, Templorum aditione, ceterisque præsiidiis, quæ cuicunque suggerere pietas queat, comparavit semet ad Confirmationis Sacramentum. (Quantæ, Deus bonæ, efficacitatis, iis dumtaxat, qui eo modo quo par est, illud suscipiunt!) Crederes, cœleste illud præsidium magis ac magis in dies in Francisci facta gratiæ spiritum transfundere, & ad Christianæ perfectionis decus rapere puerum. In studium literarum sic deinceps incubuit, ut diurna penia quæcunque imponerentur, levia semper duceret: neque contentus iis quæ in commune præscriberentur, multa

iple

(e) Psal. 91. (f) Ecclesiastæ 12.

ipse de suo, ultro addebat, è Latinis Gallicè quædam reddebat, excerpbat ex probatorum Scriptorum assidua & diligenti lectione, quæ usui deinde futura prospiciebat, dum ferret opportunitas: qua in re dimidios nonnunquam ipsos dies consumebar, & ferè per tempus illud quod condiscipuli otio, ludòve tribuebant: ut illum Moderatores proponerent æqualibus tanquam exemplar quod sequerentur; & meritò. Nam vultu semper erat æquabili, & scilicet semper ad humanitatem suavitatèque composito: utque singularis illa modestia conjuncta cum iis dotibus omnibus erat, quæ in illa ætate requiri solent, tantam illius observantiam præ se ferebant condiscipuli, ut intrà haud longissimum intervallum temporis, protervorum quidem licentiam unus ipsius aspectus cohibuerit; virtutis honestatisque studiosis fuerit pro regula; perfectis, pro exemplari. Ab iisdem condiscipulis si quid fieret dicereturve petulantius, perhumanè ipsos commonefaciebat officii: si quid inter illos rixæ oriretur, componebat discordiam: si quid peccavissent, ad pœnam eorum vice subeundam se ipse ultro offerebat: & verò plexus aliquando ob alterius delictum non modo æquo animo tulit contumeliam, sed etiam lætitiæ significationem dedit, jam tum SS. Apostolorum imitator, qui tali in re ac tempore (g) *ibant gaudentes à conspectu concilii*. Nimirum erant illa præludia eximæ caritatis, quam grandior deinde re præsentavit, martyrio sese objiciens inter hæreticos, dum iis convertendis dat operam. Ac si olim ad simulacrum Orthiæ (quam Deam cæci Ethnici

(g) A 75.

voci

vocitabant) postquam inflictâ verbera pueris erant, ad uniuscujusque illorum probandam constantiam; præmio donabatur is, qui dolorem illum omnium constantissimè tulisset; si ex sacra historia, urfos leonésque sternens David in pastoria illa vita, præludebat, tanquam præfagiens, clarissimæ illi victoriæ, quam de Philisthæis deinde, cæso Goliath, retulit; an non prædicare nobis liceat, fortitudinem caritatēque Francisci, in illa ætatula alienæ culpæ pœnam ferentis, significasse jam tum, fore, ut aliquâdo virtus illa eximia, digna judicaretur eâ vel coronâ, vel palmâ, quam victoribus summus Agonothetes reservat in cælo?

Eodémq; illo tempore in id invigilabat sedulo, ut sibi laborans, prodesset aliis. Quare, Vitas Sanctorum lectitans horis iis, quæ ad relaxandum animum attributæ erant; præter ea quæ in usus suos ex præclaris exemplis documentisq; transferebat, semper partem aliquam Vitarum earundem recitabat sociis, unde ad mörum suorû conformationem uterentur, ut è re cujusque esse animadvertent. Eodémque consilio occasionem captabat identidem cum eis deambulandi; ut pia miscens colloquia, eos ad sanctum amorem accenderet. *Discamus mature*, ajebat, *diligere Deum, Deique Genitricem: dum integrum est; illius misericordiam, hujus opem imploremus.* Aliàs, silens pium aliquid cogitatione volvebat: aliàs recitabat preces quasdam vocales; Litanias præsertim S. Deiparæ, unde occasionem arripiebat mirandi, quàm celsa sublimiâque Deus vel in ea gesserit, vel in eam contulerit: ut que illi restatum faceret, quantum esset ergà illam studi-

16 VITÆ B. FRANCISCI SALESIÏ
um suum, quanta ipsam demerendi cupido; eos-
dem illos suos æquales in aliquam nemoris opaci-
tatem seductos propè cogebat unà secum ejus-
dem laudes modulatè canere: ita (h) *ex ore infan-*
tium perficiebat Dominus Deus laudem, Francisci
operâ: ut diceres puerum tam maturum; tamque
ad veræ pietatis officia propensum, eorum homi-
num ex genere esse, quos in India penè ab incuna-
bulis canescere ajunt. Atque ut dictitabat S. Au-
gustinus, undulam quâ in Baptismo resperfus esset,
ex S. Monicæ genitricis oculis depluisse; sic ego
haud gravatè crediderim, pias illas exercitationes
juvenculi nostri, originem fuisse sancti Instituti
Visitationis, suo deinde tempore ab eo inducti in
Ecclesiam; atque adeò, filias in Christo tanti pa-
rentis peculiati quadam veneratione prosequi de-
bere beata illa tanquam rudimenta asceticæ vitæ,
secessusque pueriles, tunc tanquam ex fonte Reli-
giosus Ordo quem profitentur, manaverit.

Ut ad propositum revertamur, Franciscus ad an-
num ætatis xi Ecclesiasticâ tonsurâ insigniri se vo-
luit, uno studio permotus Deo sese penitus addicē-
di, ministrandique sacris Altaribus. Id adeò haud
obscure significavit, cum patri, cui jam constitu-
tum erat, tantæ spei filium Lutetiam Parisiorum
mittere, proponenti certum quoddam Collegi-
um, in quo convictor acturus esset; Ne verò, inquit
Franciscus, *ne in Collegium illud me abito, mi Pater,*
siquidem gratificari mihi vis: audio eo loco non satis cura-
ri pietatem, neque obsequium Dei vigere: diffido natura
pravitate, quæ cum satis ipsa per se ad vitium propendeat,
for: è a recto tramite me haud optimorum adolescentum sa-
mi-

(h) *Psal. 8.*

miliari consuetudo abduceret: ni grave est, Patrum Iesuitarum Collegium malim: ab iis, ut pii & eruditi sunt, uno eodemque tempore & iter coeli discam, & disciplinas bauriam.

Eâ oratione cum blanda quadam comitate conjunctâ, evicit à Patre, ut suo ipsius consilio rejecto, concederet in filii sententiam, voluntatèque. Ita dicere potuit Franciscus Procreatorem compellens suum: *Deus, docuisti me à juventute mea.* (a)

(a) Psalm. 76.

CAPUT IV.

Lutetiam Parisiorum mittitur.

CUM eum ad modum Dominus Deus regendū dum Franciscum suscepisset, intel. dum illi dedit, & instruxit illum in via quâ graderetur: firmavit super eum oculos suos. (a) Ergo ille valefaciens suis, Lutetiam profectus est cum domestico Moderatore, (Deagio nomen fuit) quo aliquot jam annos utebatur: admissusque in Collegium Patrum Societatis Jesu, nactus copiosè ibi est, unde satisfaceret & parentibus, miro in literarum studio progressu, & sibi, plis sanctis que exercitationibus quæ foverent amorè Dei, quo totus æstuabat. Ad rationes animæ suæ moderandas, unū ex tam multis ex eadem Societate eo in genere experientissimum adhibuit: sub eoque tantū brevī profecit, ut in Partheniorum Sodalium consortium cooptatus, Sodalitatis primò Assistent, mox Præfectus, omnium animos rapuerit: eodemque tempore, cum se illi militare intelligeret, cui, per Antonomastiam, unice Virginis nomen debitum; ve-

(a) Psalm. 31.

B

hemena

hementem de voto Castitatis emittendo cogitationem suscepit: ob singularem mansuetudinem, demissionemque animi, carus omnibus sic, ut eorum plerique tantæ pietatis significatione perpetuâ puncti, mirum in modum ad Christianæ perfectionis decus exarserint. Jam omnes pravæ naturæ motus impetûsque rectæ rationi subjecerat, motionibusque gratiæ: & tamen sibi sapienter diffidens, ultro afflictabat corpus tum asperitatibus aliis, tum cilicio gestando ter quaque hebdomade. Assiduè divinis Officiis intererat, audiebat verbum Dei, multus erat cum iis, quos virtus præstantior conjunctos Deo per spiritûs exercitationes tenebat. Delectabatur præcipuè consuetudine *Angeli illius de Ioyosa* è venerabili Patrum Capucinatorum Ordine Sacerdotis, cujus facta admirabatur. *Qualia tandem nobis perfecta vitæ exempla suppeditat vir iste Religiosus?* (ajebat cuidam ex æqualibus) *qui Princeps ortu, aulicus educatione, post tam multas partas victorias, post tam multa facinora sanè illustria, faccum tamen induit, elegitque abjectus esse in domo Dei (a) sui, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Omnino Deus tam præstans exemplar proponens, ad illius nos imitationem vocat.*

Eademque caritas, unde illi tam sancti impetus, in Francisci animo ingenerabat sensum ad res divinas non qualemcunque, sed verum, ac spirantem (sic enim propemodum rem ipse explicat, Philotheam compellans) ex intimo quodam amore Dei, eodemque planè sincero; qui quidem illius mentem decorans, prodebat qualibus quantisque muneribus augetetur magis ac magis in dies à Deo,

(a *Psalm. 83.*

cui

cui acceptissimus esset, quique cum intrâ perbreve tempus ad eum perfectionis gradum evenit, unde vera pietas. Quidquid ageret, reputaretve animo, non modò ad honestum ferebatur, sed etiam ferebatur cum ardore mentis, in Oratione præsertim; cujus tempore illustrabatur mirum in modum à Deo, afficiebaturque sic, ut suavitatem interiorem assiduè degustanti, inoleverit felix assuetudo mentem ad Deum erigendi, si non continenter, per frequenter certè: ita Dominum in conspectu suo providens, ferè semper, in momenta iterabat redintegrabatque motus & conatus cordis ac mentis in Deum: neque erat illi quidquam tam jucundum, quàm vel colloqui cum illo, aut interiùs, aut per asceticorum librorum lectionem; vel de illo miscere sermones cum æqualibus; ad vitam castigatorem illos vehementer incitando. Refert quidem certè de se etiamnum ex eis unus, cum Patavii eodem quo Franciscus tempore studiorum causâ versans, aliquando in sermone familiari gloriaretur licentiùs, à se aliquid impiè perpetratum; Franciscum voce severiori, vultu tamen humanè ad pietatem composito, *Quid verò in te commisit Deus, dixisse, ut illum tam indignè habeas? imò verò, qui nō in re de te meritis est, ut facias alia omnia?* Addit, quoties illius amicæ & religiosæ monitionis venit in mentem, emolliri pectus suam ad pietatem, & de offenso Deo dolorem sibi commoveri.

Ipse tunc quidem à consilio parentum consideratè discedens, ibidem Lutetiæ Theologiam audire constituit: ut iisdem tamen satisfaceret, simul

operam dabat identidem exercitationibus iis, quæ in nobilibus adolescentibus exquiruntur: quam illas sic usurpabat, ut ab iis se assidue ad illum transferret, quem amabat unicè. Ego, aiebat, quò frequentius mente & cogitatione retracto quæ ad æternitatem effata pertinent, eò ardentius in animo meo accenditur desiderium ex eorum præscripto vitam morésque instituendi. Itaque, & intererat disputationibus Sorbonicis celeberrimis quibusque, & suâ manu in commentariolum referebat tum quæstiones quasque illustriores, tum argumenta quibus in partem utramque disceptabantur: fructus is fuit, ut cum Magistri quibus operam dabat, tantos in adolescentulo vix annorum sedecim admirarentur progressus, prædicaverint sapius, illum aliquando in eruditissimis Orbis totius viris numeratum iri.

Mirabatur quidem Plato, sapiens Hierosolimitanum, qui Philosophiam suam in scholâ virtutis converteret: maximi vulgò fiebat Mercurius Trismegistus, quòd ejus disputationibus initium quidem vota, finem verò sacrificia dabant: at multò illustriores laudes promeretur Franciscus, cujus studendi labori & initium & finem dabant preces & vota; quicquè nihil aliud in assidua illa mentis contentione vel fatigatione sequebatur, nisi gloriam Dei, salutemque animarum sempiternam. Omnino scientiam Sanctorum habuisse dicendum est: utque Angelos vitæ innocentiam, castimoniamque decore imitabatur; ita eorundem splendorem singulari eruditione, zelum ardentissimo Dei amore erat adeptus.

Satis ergo sit ad temeritatem eorum coercenda

dant

dam, qui per inconsultam temeritatem dicere ausi sunt, Franciscum Salesium præcellenti quidem virtute fuisse, non tamen doctissimum; illum eruditissimis quibusque Sorbonæ Magistris summo in pretio fuisse, non solum virtutis nomine, sed etiam eruditionis. Nec prætermittere hîc queam, quod accepi ipse coram, ab Illustrissimo Episcopo Bellaio, cujus memoriam venerari probi omnes debent; accepisse se ab ipso Beato Præsule de quo scribimus, lineolas quatuordecim ex Theotimo (sic Opus de Amore Dei inscriptum voluit) stetit sibi lectione paginarum mille & ducentarum in folio, quas dicimus, unde de toto volumine æstimari facîle queat, agnosci que, quantum temporis operæque in volutandis SS. Patribus, S. Augustino nominatim, posuisset, ut observârunt ii, aut qui diligentius præclaras illas lucubrations lecitârunt, quas deinde ipse edidit, aut aures præbuerunt concionanti per Quadragesimam; quam quidem provinciam tam luculentè exornavit annos permultos. Sed ut ad ejus pietatem revertamur, singulis hebdomadis ad sacram mensam adibat, quò pleniùs ei adhæresceret, quem unum castè sanctèque diligebat: quo tempore, ex ardore qui ejus è vultu emicabat, quisque spectantium intelligebat Beatum adolescentem tunc in dilecto totum occupari, summòque bono fruendo absorberi: & quoniam nescit amor Dei languere otio, non satis Francisco erat diligere & diligere; flammæ pectoris sui ejaculabatur prætereà in frigidum quemque, sic, ut qui ad sacrum convivium indigno quodam veterno torpentes accesserant,

rant, ejus exemplo incitati exardescerent. Fuit, cum visentem se quendam è sociis, ut matutinum tempus erat, rectà ad templum duxerit, atque ad sacram Synaxim unà securo obeundam invitârît: tum, religiosâ re peractâ, comiter appellans, *Demiceps*, inquit, *pransum abeamus dum lubebit: epule istæ antecedere debuerant, quippe infinitè potiores.* Et inter eundem, in eo totus fuit ut persuaderet, nihil à nobis fieri posse ad Dei venerationem, amorem, obsequium eidem summo Domino acceptius, nihil ad nostras ipsorum rationes utilius, quàm si frequenter ad sacram mensam adierimus: quas utilitates sic exposuit, ut diceret, Dei quidem *delicias esse versari cum filiis hominum, (a)* verùm aptè, quoad fert humana imbecillitas, antè comparatis: proinde nihil non à nobis & fieri, & tentari debere, ut non indignè ad eam tantam Majestatem accedamus, fide vivâ ac spiranti, spe firmâ, amore sincero, atque impermixto. Ita, unumquemque ad Sacramenta frequenter usurpanda adhortabatur, tum sui ipsius exemplo, tum oratione, consentaneè præclaro incitamento S. Augustini, *Securus accede: panis est, non venenum. (b)*

(a) *Prov. 8.* (b) *Tract. 26. in Ioan.*

C A P U T V.

Tentationem gravissimam. Deipara ope superat.

Accedenti ad servitutem Dei, preparandus animus ad tentationem. (a) Hostis bonorum omnium capitalissimus cum tales tantosque in virtute progressus beato Adolescenti invideret, qui de sua ne-

(a) *Ecclesiastic. 2.*

quitia

quitia fraudulentisque artibus tam illustres repor-
 taret triumphos; constituit nullam non machinam
 adhibere ad cursum illius inhibendum. Ergo fa-
 cultati efformatrici imaginum illudens, vehemen-
 ter persuadere Francisco nititur, ipsum in numero
 damnatorum fore: quâ ex cogitatione tanta con-
 secuta in juvenis mente perturbatio, formidôque,
 & tenebricosa consternatio, ut vix quidquam in eo
 genere fingi possit miserabilius. Nam quis tandem
 gravior cruciatus vexare animum Dei amantissi-
 mum queat, quâm infesta illa penè persuasio, fore
 ut nunquam eum videas, nunquam summo illo
 bono fruare? Planè ad tristem illam animi caligi-
 nem ponendam aptè ob oculos, opus sit parte a-
 moris illius aliquâ, quâ pium pectus vel in tam for-
 midoloso certamine æstuabat. Ut Seraphini in
 cælo, sic in terra ardet Franciscus; nec quidquam
 tamen in se illius aut ardoris aut luminis persenti-
 scit: purissimi amoris flammæ pectus illud succen-
 dunt; nec seciùs intentatis Avernaliû flamma-
 rum minis terretur, eò usque, ut terrores ii somnum
 ademerint, cibique & potionis appetitionem pe-
 pulerint. Hinc consecuta toto corpore aurigo,
 macièsque vultum ita deformans, ut propè terre-
 ret intuentes. Quid faceret ejus Moderator, ta-
 bem ipse spectans, miseransque, cujus causam
 ignoraret penitus? aut quò se verteret ille ipse, qui
 tam deplorato statu erat? In extremo illo angore
 animi, ad Augustissimæ Deiparæ opem confugit,
 asylum utique sâdissimum calamitosi omnibus:
 ad Ædem sacram adit S. Stephani Græcorum:
 prostratusque coram Augustissimæ Reginæ effi-
 gie,

gie, in illa propè desperatione, ad quam tunc horribilem quendam in modum adigebatur, *Quandoquidem*, inquit, *è infelicitatis deveni, ut in vita altera Domino Deo sim cariturus, summè amabili; saltè, quamdiu versabor in terris, eni ar pro viribus, ut eum diligam ex toto corde meo, & ex intimis præcordiorum affectibus.* Atque hîc pronunciavit formulam illam præcandi, p̄i familiarem piis, *Memorare, ô piissima Virgo MARIA, &c.* simul voto concepto spondet, se quotidie Rosarium recitaturum ad sanctæ Libertatricis decus. Nec diutiùs angor stetit; Matris misericordiæ beneficio discussa momento caligo est, quæ puram mentem tam formidolosè obduzerat; & infestus ille mentis cruciatus omni alio supplicii genere gravior, prorsùs abcessit, teterri- mo dæmone non ferente tantam divini amoris vim in Francisco, oblito penitùs rerum suarum, & Deum Dei unius causâ diligente. Ergo redire prima virium firmitas, gratus. ut priùs, color in vultu enitere, mens pristinâ tranquillitate frui: & cui paulò antè interdictum propè erat usu facultatum omnium animi, statim uniuscujusque actione uti expeditiùs, quàm unquam antea.

Porro, de infestissimo illo mentis habitu cum amicissimis quibusdam ipse deinde colloquens, quibus planè confidebat; asseveravit, quo primùm momento importunissima illa exagitatione sævi hostis liberatus est, visas sibi fuisse excidere toto corpore tanquam crustas squamasve lepræ cujusdam. An non autem verum est, Domine Deus cui humani pectoris & imbecillitas & firmitudo æquè perspecta est, placuisse summæ tuæ Ma-
jectæ

jestati illam Francisci tam exaggeratam constan-
tiam; fructum utique tui ergà illum, illius ergà te
amoris? Quidam te rebus secundis diligunt, ex
effato S. Gregorii, qui sub persecutionum ponde-
re amoris tui penè obliviscuntur; & verò dici ju-
re queat periculum esse, nè is qui te tunc tantum
diligit, cum ejus mens oppletur suavitate interio-
ri, eà abscedente aut diligere te desinat, aut aliud
diligat; illius autem amorem, qui te unius merce-
dis intuitu deamet, amorem esse mercenarium:
qui verò profiteatur se totâ vitâ in id velle incum-
bere, ut te quàm fidelissimè diligat, etiam dum si-
bi persuadet, nihil sibi à te reservari, nisi severita-
tem, sempiternosque cruciatus; eum omnino pos-
se dicere, te à se diligi eo modo quo promereris, si
tamen ab ulla mente creatâ diligi potes, Creator,
quantum promereris, qui sis infinite amabilis. A-
jebat quidem S. Cyprianus, sicut fieri nequeat, ut
oculorum altero cælum, altero terra uno eodém-
que momento spectetur: sic fieri nequire, ut in
uno eodémque pectore simul amor Dei mundi-
que consistat: & Franciscus tamen noster in da-
mnatorum se licet numero reputans, Deum, vel in
Tartari penetralibus, diligit, Dei severitatem æquè
ac blandientem suavitatem amat; Deum sibi vi-
dere videtur, dextrâ armatâ fulmine, effosso bara-
thro extremum exitium intentantem: nec secius
illum veneratur, quàm si beatæ æternitatis coro-
nam ostentaret: illum spectat tanquam ad Orcum
deportantem se se, & tamen diligit, tanquam in
cælo optimum & beneficentissimum, ut re verâ
est. Amoris vim planè singularem, planèque suspi-

26 VITÆ B. FRANCISCI SALESI
ciendam! de qua, perinde atquè de ardentissima
illa Sponsæ dilectione dici queat: *Aqua multa non
potuerunt extinguere caritatem.* (b) Et de æternis illis
incendiis quæ tristissimæ tentationis tempore men-
te & cogitatione Salesius revolvebat, prædicari
idem possit, quod de flammis quæ S. Laurentii
corpus depastæ sunt, SS. Patrum aliquis (c) usurpa-
vit, ipsum, dum Christi arderet desiderio, perse-
cutoris pœnam non sensisse.

Certè morte fortior, & æternâ quidem, Fran-
cischi dilectio fuit, duriôrque, hoc est, firmior atque
constantior, sancta æmulatio venerantis Deum,
totâ suppliciorum æternitate: atque adeò amor
ille præstantior in victoria censerî quodammodo
possit, quàm Martyrum, Angelorûmque dilectio.
Nam Seraphini quidem illi, quorum ardor è pu-
rissimis quibusque flammis ætheris exardescit, ha-
bent id in diligendo Deo sanè magnum, quòd in-
timè cum illa tanta, tamque amabili bonitate con-
glutinati, summum illud bonum beatâ necessitate
diligunt: noster autem fortissimus athleta Deum
vehementer diligit, etiam tum, cum se ab eo de-
vulsus in perpetuum putat. Martyres Deum di-
ligunt, ad illiûsque gloriam dura & acerba tolerant
eâ spe, fore ut sui cruciatus aliquando in felicita-
tem nullâ unquam sæculorum diuturnitate finien-
dam mutantur: Franciscus autem in amando Deo
perstat, etiam eo tempore, quo ab ejus justitia vin-
dice non beatum præmium, sed castigationem
crudellem expectat. Quare, si ex S. Augustino
Martyrium non in cruciatûs magnitudine, sed in
causæ bonitate positum est; non verear dicere

(b) *Cant.* 8. (c) *Aug. serm.* 30 *de Sanctis.*

Fran

Franciscum nostrum majus aliquid promeruisse quam Martyres: quandoquidem non modò nullâ spe præmiî, sed etiam æternâ suppliciorum diritate menti propositâ, atque objectâ, in sancto tamen amore perstare constituit.

Ceterùm, postquam annos sex Lutetiæ exegerat, Philosophicum cursum felicissimo eventu e-
mensus, Sabaudiam reperit, egregiè memor ac-
cepti recens beneficii; unde jucundissimos illos
Psalmographi sensus assiduè pio, & religioso pe-
ctore iterabat: *Benedic, anima mea, Domino, & omnia
quæ intrâ me sunt, Nomini sancto ejus!* (d)

(d) Psalm. 102.

CAPUT VI.

*Patavium migrat: eo loco ut se gesserit ab
anno ætatis decimo octavo ad quar-
tum usque & vice simum.*

Cùm inde usque ab æternitate constitutum ef-
set adorandæ Dei providentiæ, quæ tantâ
curâ in Electorum suorum res invigilat, Franci-
scum nostrum, perinde atquè olim Jeremiam, (a)
constituere, verbis suis ejus in ore datis, *super gentes &
regna, ut evelleret, & destrueret, & disperderet, & dissipa-
ret, & edificaret, & plantaret*; eam mentem ipsius
parentibus injecit, ut tamen intimè illius consue-
tudine convictûque suavissimo delectabantur,
præcipuè ex quo Lutetiâ redierat, illam tamen ob-
lectationem abdicarent, filio rursus ad tempus
ablegato. Itaque Patavium illum misère, Juri Ci-
vili operam daturum: quâ in facultate eum miros
face-

(a) Jerem. I.

faceret progressus, pertæsus tamen talis laboris & studii, quòd in eiusmodi commentationibus nihil se se objiceret menti jam addictæ Deo, nisi ad bona naturæ, quæ vocantur, pertinens, quorum quidem contemptionem jam tum in pio pectore Gratia ingeneraverat; Theologiæ studium arripuit, unde magis ac magis in Deum efferretur, atque ad amorem summæ illius bonitatis exardesceret; qui quidem amor, nunquam dicens *Satis est*, Franciscum sensim ad perfectius quoddam vitæ genus extimulabat: huncque motum animi ipse his ferè verbis & oratione exprimebat: *Cur tandem veni huc? hominis dies tam breves sunt, ut inani cuidam umbra per similes esse videantur; quantâ ergo provisione in id incumbere quisque debet, ut eos ritè collocet, & insumat? Age, ut amur otio hócce brevi, quod suppeditat nobis Deus, Quantus verò angor mentem hanc in discessu è vita torqueret, si quæ occasiones tam multæ rei bene gerendæ ad æternitatem, ultro se offerunt, eas negligerem? quo autem consilio, Dominus Deus animum meum tam vehementer ad Christiani officii perfectionem incitat & impellit, nisi ut tam benignè vocantem sequar, & viam mandatorum ejus curram, postquam cor meum dilatavit?* (b) Nimirum gigas Franciscus erat, exultans ad currendam viam cœli, unde primos hauserat motus. Eam in rem, ibidem Patavii, Sacerdotem delegit è Societate Jesu, cui se moderandum permitteret, virum apertè religiosum: ex ejus consilio hæc sibi ipse ad quotidianæ vitæ rationes præscripsit.

“ Manè quidem, statim atquè evigilavero, gratias Domino Deo meo agam, in hæc verba: *Matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus:* (c)

(b) Psal. 118. (c) Psal. 62.

tum pium quiddam pro temporis diversitate
 meditatus, desinam in hanc sententiam: *Quoni-*
am non Deus volens iniquitatem tu es, (d) ab omni
 peccato refugiam pro viribus, Nullum diem
 sinam elabi, quin augustissimo Missæ sacrificio
 intersim, hæc mecum revolvens: *Venite, & vide-*
te opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. (e)
 Quòd si fortè per occupationes minùs licuerit
 interdiu dare meditationi operam, eam in rem
 aliquid nocturni temporis suffurabor, hæc mihi
 canens: *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. (f)*

Orationum jaculatoriarum formulæ hæc mi-
 hi frequentes erunt: *Domine, nisi custodieris ani-*
mam meam, frustra vigilat qui custodit eam. (g)
Ad te levavi animam meam: Doce me facere volunta-
tem tuam; quia Deus meus es tu: Spiritus tuus bonus
deducet me in terram rectam. (h)

Reminiscar frequens, motionum piarum,
 quascunque mihi Deus inter meditandum in-
 jecerit.

Illud etiam attentè perpendam, imbellis &
 fracti animi esse, in Creatoris offensionem ob-
 creatum aliquem, aliquidve, ex persuasione,
 odio, metu cujusquam incurrere: cum enim no-
 tum perspectumque sit cuilibet, summum illum
 Dominum ob infinitam bonitatem dignissimū
 esse, cui omnes summâ cum veneratione oble-
 quantur & serviant; planè fieri nequit, ut tanta
 Majestas contemnatur, nisi ex abjecti animi im-
 becillitate: cur igitur æquissimas illius leges
 violem, ad damna, incommodaque corporis,

aut
 (d) Ps. 5. (e) Ps. 41. (f) Matt. 25. (g) Ps. 126. (h) Ps. 142

“ aut ad honoris fortunarumve jacturam decli-
 “ nandam? Nam quid tandem nocere homines,
 “ aut omnino res creatæ possunt? conatus sanè
 “ omnes suos exerant in me improbi, *Dominus*
 “ *adjutor meus*: obloquantur mihi loquentes iniqua:
 “ nihili facio inanes obrectationes: qui sedet super
 “ *Cherubim*, protector meus est: me meaque infi-
 “ nitæ illius bonitati committo prorsus, sollicitu-
 “ dinem omnem meam projiciens in eum, quid-
 “ quid sim, quidquid me esse velit. Etiam, mi
 “ Deus, mi Domine, etiam: posco id mihi con-
 “ tingat, ut *omnibus diebus vitæ meæ faciam voluntatem*
 “ *tuam*, utque in perpetuum, vitæ meæ, animus, spi-
 “ ritus, cor, memoria, mens, voluntas, tibi ser-
 “ viant, teque colant, & venerentur,

“ In consuetudine cum proximo, nihil in te
 “ committam, Deus meus: in illud verò incum-
 “ bam sedulò, ut in firmo destinatoque consilio
 “ uni tibi placendi, modestus sim, sine petulantia;
 “ liber, sine levitate; comis, sine affectatione; sin-
 “ cerus, sine dissimulatione; omnibus amicus,
 “ paucis familiaris, pauca loquens, eaque semper
 “ sanctè, & fructuosè.

Nec verabant tam sanctæ exercitationes, quin
 quotidie horas quatuor Theologiæ impenderet,
 Jurisprudentiæ totidem; quæ cum licentiores qui-
 dam juvenes ac penè impii, sic interpretarentur, ut
 de severiori illa disciplina morum secùs judica-
 rent, ac veriæquique ratio ferebat, tam sanctas ex-
 ercitationes aut stupori ingenii, aut pusillo fractò-
 que animo tribuentes; ausi sunt per summum ne-
 fas, tantæ innocentæ objicere laqueos, Francis-
 que

que virtutem periculosâ fraude periclitari. Illum ad celeberrimum quemdam Doctorem deducendi specie, deducunt in ædes nequissimæ meretricis. Vix pedem intulerant fraudulentæ familiares, cum abscedunt sensim alii ex aliis, Francisco haud advertente, donec solum se ac destitutum cum procaci muliercula vidit, quò validiùs misera castum juvenem ad flagitium sollicitaret. At is Gratiâ rectus, quæ perpetuò purum illud pectus occupabat, fultusque sanctæ Deiparæ patrocinio, ad quam, tanquam ad fidissimam protectricem, confugit in tempore, vicit, expugnavitque Tartarum: impudentem mulierculam repulit, objurgataeque severiùs in caput sudem ardentem librat, conjicitque, & vultum conspuit, æmulus utique S. Thomæ Aquinatis, à quo patem victoriam in eodem certaminis genere relatam produnt illius Vitæ Scriptores: ita Angelici Doctoris eruditionem sectatus, Angelicæ quoque castimonix decus haud impar nactus Franciscus est.

At Asmodæus furens idcirco vel maximè, quòd ab adolescente victus esset, fraudem alteram intentat: neque enim immeritò Cassiodorus tradidit, quòd sapiùs vincitur, eò magis illius furorem accendi: Sanctus autem Petrus Chrysologus, egredientes vitæ secularis illecebras, grandiores congressus expectare debere. (i) Femina tam opulenta quàm impudica, montes, quod ajunt, aut eos pollicetur cuidam è Francisci familiaribus, si modo juvenem domum suam perduceret. Cùm annuisset miserimus sequester, Franciscòque mentionem rei injecisset, ille prudens sicut serpens,

(i) In Epist.

non tulit pravam molitionem, sed zelo æstuans,
 inconsultum sodalem hæc oratione castigavit:
 “ *Discedite à me operarii iniquitatis: (k)* nec te pudeat
 “ perfidiosissime amicorum, ad flagitiū me invitare
 “ et te, qui eundem me, si, quod Deus omen avertat,
 “ illius essem affinis, asperrimè objurgare debueras?
 “ Abi sanè: precare ignoscat tibi Dominus:
 “ ei verò infelicissimæ verbis meis dicito, habeat
 “ sibi munera sua: ego quidem, vel si ad manum
 “ cam res mihi redierit, nunquam, propitio Do-
 “ mino, opes sempiternæ animæ saluti antepo-
 “ nam: tu cavè ne unquam aures meas tam indi-
 “ gna oratione verberes. Abi, & jam amplius noli
 “ peccare. Quæ oratio & Satanæ emissarium &
 “ Satanam ipsum fugavit: declatavitque, frustra il-
 “ lum tentationum jaculis petere mentes puras at-
 “ que integras, quæ diffusæ sibi, imbecillitateque sua,
 “ Jesu Christo adhærescunt.

Ex eo verò tempore intelligens fortis athleta,
 quanta quàmque assidua cautio & vigilantia ad-
 hibenda sibi esset ad tuendam castimoniam; vo-
 luntarias corporis afflictationes intendere, jeju-
 nia, verberationes cruentas, cilicia, vigiliæ, preca-
 tiones: sed non diù viribus animi respondere po-
 tuit robur corporis: ex illa tam multiplici eadem
 & tam acri afflictatione morbum contraxit tam
 gravem, ut exhaustus exsuccusque, de vita periculi-
 tatus sit. Hic verò quos sensus animo conderet
 quàmque aptus ex Dei voluntate esset, enituit per
 illustrem in modum: nam cum ex eo quæreret
 cui moderandos annos Francisci juveniles, paren-
 tes tradiderant, Num in morte, æquè ac in vi-

(k) *LUC. 13.*

morem gerere summo Domino vellet? ita respon-
dit, ut verissimum esse in se ipse ostenderit, quod
à S. Augustino traditum est, *Nihil tam durum, tam
ferreum esse, quod non amoris igne vincatur*: (l) colle-
ctis enim in vocem, virium reliquiis, Enimve-
rò, inquit deploratus noster: nihil aliud concu-
pisco, nisi ut cum illo jungar: *paratum cor
meum* ad quidlibet, quod de me statuere Domi-
no Deo meo collibitum fuerit, seu vivere me
velit diutiùs, seu jam nunc mortè defungi: in eo
repositam felicitatem meam duco, ut cum illo
aut vivam, aut emoriar. *Dominus illuminatio mea:*
*quem timebo? si consistant adversum me castra, non ti-
mebit cor meum.* (m) Illud unum opto, quod sin-
gulare solatium hoc extremo vitæ tempore al-
laturum est, ut scilicet, statim atque animam e-
gero, corpus meum tradas Medicis Chirurgis-
que, in anatomen dissecandum: quò, quando-
quidem nihil in vita contuli ad publicas utili-
tates, saltem post mortem valeat donum hoc ce-
voluntarium ad amolienda dissidia, quæ inter-
cedere sæpenumerò, ad cædes usque, solent in-
ter demortuorum propinquos, & juvenes eos
qui Medicæ facultati dant operam, quorum
nonnulli refodiunt clam corpora ad dissectio-
nem illam.

Ita caritatis sensum ad ea ipsa protendens, quæ
non nisi post mortem essent eventura, spiritum,
eor, vitam omnè prorsus permittens ei, à quo cun-
cta acceperat; fide, spe, caritate plenus extremæ
Sacramenta suscepit, animo ad eum modum com-
parato,

(l) De Moribus Ecclesiæ, cap. 22. (m) Psal. 26.

34 VITÆ B. FRANCISCI SALESII
parato, quem Jesus Christus præsens candidissi-
mæ menti suggerebat, ex meditatione Crucis illius,
in qua spiritum ipse emiserat: quo tempore exi-
guæ vitæ, ut putabantur, reliquæ, in eas tantum
voces referere os sinebant: *Desiderium habeo dissolvi,
& esse cum Christo: (n) hoc est, Ponderus ejus amor ejus
erat, ex S. Augustino: (o) in morte æquè & in vita
Francisci motus omnes Deum respiciebant; nec
moti metuebat, nec optabat vivere, unum illud
votis omnibus exposcens, ut Deo adhæreret.*

(n) *Philip. 1. (o) 13. Confess. cap. 9.*

C A P U T VII.

*Revalescit: cepisset Doctoratum: quàm re-
ligiosè se Romæ & Laureti gesserit,
in Sabaudiam rediens.*

MORBI corporis, quibus Sancti conflictan-
tur, sæpe medentur mentibus improborum
ac si frequenter justos videremus in cruciatibus
disceremus ferè semper, quæ medicina menti
ulceribus facienda sit. Etenim æquitas illa animi
quam amici Dei, dum ægro sunt corpore, præ-
ferunt, eos ipsos qui impotentius se se eo tempore
gerere solent, erudit ad constantiam. Prætermi-
to tamen partem haud exiguam documentorum
quæ sanè præclara Franciscus noster re magis quàm
verbo exhibuit toto morbi illius tempore. De illo
eodem, ubi conclamatus semel à Medicis est, factu
sit dicere cum Psalmographo: (a) *Non morietur, se
vivet; verbisque & factis divinæ bonitatis opus
narrabit, momenta cuncta vitæ subsequentiis am-*

(a) *Psalm. 117.*

morientis Salvatoris dicans & consecrans, suscepto consilio in Clerum transeundi, quò plenius facta sua omnia, labores, vigiliis transferret ad Dei gloriam.

Ergo cum ex morbo planè emerisset, brevè iis omnibus defunctus est, quæ ad Doctoratum obtinendum necessaria erant, quo quidem honoris gradu dignissimus esse à Professoribus iudicatus est; ita, postquam peritiam illius eruditionem periclitari de more multoties erant, non potuerunt negare Pileum, insignè Doctoratûs. Consecuti applausus ingentes ab Academia tota: quos ipse sic excepit, ut præclara oratione grati animi significationem haud vulgarem testatus, cunctos sibi magis magisque conciliaverit. Iisdem cum plausibus plerorumque aliorum, quos Francisco tanta eruditio cum tanta modestia & comitate conjuncta devinxerat, deductus domum est: post, Paravio excedens Romam versus, quò cogitabat, eo loco unde excedebat, tantam doctrinæ juxta, & prudentiæ opinionem reliquit, ut prædicarent plerique, juvenis illius discessu multum de eruditionis virtutisque dignitate deperiturum Paravii: adeò utrâque laude insignis jam tum Franciscus Salesius erat.

Romam ubi pervenit, nihil ei potius fuit, quàm ut religiosè iret ad Catatumbas, hoc est, ad sepulcra Martyrum tam multorum, quæ in cryptis iis condita sunt; eo loco vel amore, vel commiseratione colliquescens, hanc ferè orationem habebat, nec sine sanctæ cujusdam æmulationis stimulis; Res est majoris pretii Martyrium, Domine
 C 2 Deus

“ Deus meus, quàm ut in spem venire possim aut
 “ debeam tanti decoris. Nimirum dilectis tuis
 “ eam gloriam reservas: nec quisquam vitam tuâ
 “ causâ profundit, quin sit tibi apprimè carus.
 “ Quòd si tamen indignus sum qui re ipsâ Mar-
 “ tyrium consequar, saltèm illud concedito, ut
 “ Martyr sim voluntate. Potest quidem deesse
 “ mihi Martyrii gladius: at ego, juvante tuâ gra-
 “ tiâ, ne utiquam Martyrii gladio desim, si res &
 “ opportunitas ferat; exultansque animo, cervi-
 “ ces has securi supponam. Superest, ut quando
 “ mihi negatur beatorum cruciatuum perpassio,
 “ miseratione saltèm tuas, Rex gloriose Marty-
 “ rum, tuorumque in morte acerbitates profes-
 “ quar meditans, & admirans, aut etiam, si te dabit
 “ occasio, aliquâ ex parte imitaturus. Vitam sanè
 “ magno animo & forti, tuâ causâ profundant illi,
 “ quos inde usque ab æternitate, ad illius laureo-
 “ læ decus adipiscendum telegisti: mihi satis fue-
 “ rit in tui amore, ad tui amorem, ex ipso amo-
 “ re vivere. Hinc verò intelligere quisque potest,
 siquidem ex S. Augustino, (b) Martyres veros non
 facit pœna sed causâ; amorem illum, quo Marty-
 rum cruciatus Franciscus sibi exposcebat, Marty-
 rum coronas illi promeruisse. Ipse quidem dicere
 cum Davide poterat: (c) *Non timebo millia populi cir-
 cumdantis me: quandoquidem ex eodem S. Augu-
 stino, Tanquam oleo sic sanguine, Martyrum in Christo
 ardor inflammatur.* (d)

Ut ad argumenti seriem regrediamur, postquam
 Martyrum tumulos & oculis & cogitatione eum

(b) Epist. 167 ad Festum. (c) Psal. 3. (d) in Psal. 3.

admodum Franciscus lustraverat, cogitationem
retorquebat ad priscos illos Romanorum Heroas,
Ethnicæ Reipublicæ temporibus illustres; admi-
rabundusque, Ut inanes, aiebat, sunt mortalium
conatus, facta, nullius pretii, dum ad Domini
Dei gloriam non referuntur! En, inscribebant
miseri isti nomina sua in saxorum fastigio, sibi-
que ineptè persuadebant, se in insensis illis sub-
structionibus immortalitatem stabilituros su-
am: vanis in rebus inaniter homines vani ac-
quiescebant: verùm si hi in curribus & in equis
gloriantur; nos in nomine Domini nostri invocan-
tes, (e) vincemus.

Jam, ut curribus olim Ægyptiorum haustis alto
gurgite, Israëlita sicco vestigio Erythræum pelagus
trajecerunt; sic factum Dei providentiâ, quæ re-
bus mortalium quidem omnium assiduè invigilat,
Electorum autem suorum peculiarem quandam
curationem susceptam habet; ut cum is apud
quem ibidem Romæ diversaturus peregrinus no-
ster erat, uberioris cujusdam mercedis spe propo-
sitâ, eum rejecisset, nocte proximè consecutâ fœda
exorta procella domum illam disjecerit in Tibe-
rim: id ubi rescivit Franciscus, gratias agens pro
insperata tutela, Deus, inquit, meus es tu: in manibus
tuis sortes meæ. (f)

Româ Lauretum tetendit, moræ impatiens; ad
Ædem ubi pervenit, Verbum Incarnatum, e jus-
demque Matrem suavissimè compellans; Hæc
sunt, inquit, speciosa Sponsa Regis æterni, hæc
sunt tigna cedrina domûs, hæc laquearia tua cypressi-

(e) Psal. 15. (f) Psal. 30.

“na! propè illos parietes consistis, Amor divine,
 “prospiciens per cancellos, respiciens per fenestras! hoc lo-
 “copascis inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur um-
 “bra. Hoc loco, mi Domine, frater meus factus
 “es: quis dabit, ut te foris inveniam, sugentem ubera ma-
 “tris meae, & osculer te? (g) Deus, docuisti me à juventute
 “mea: (h) perge me hoc loco docere.

Ita cor suum, affectusque animi effundens om-
 nnes, divinæ Providentiæ permisit se in perpetuum;
 tuncque denuo sensit se tam vehementer ad
 Sacerdotii decus vocari, ut cum dubitare nequi-
 ret, quin à Deo impelleretur, totum se ad id vitæ
 genus dicaverit, formam jam tum sibi depingens
 animo, Apostolicæ cujusdam perfectionis, quam
 in se expressurus esset aliquando, per prædicationem
 verbi Dei, institutionem proximi, patientiam
 laborum, egestatis, exagitationumque omnium,
 quibus in tam piis institutis exercendus quando-
 que esset, omnia jam tum singulari quadam cari-
 tate animo amplectens.

Laureto egressus, ad cœptum iter prosequen-
 dum, idem propè expertus est, ex paterno Domi-
 ni Dei in se studio, quod expertus Romæ erat tum,
 cum exclusus ab hospite eâ domo est, quæ sequen-
 ti nocte corruit: nam cum femina primaria navi-
 gium sibi, familiæque propriè conduxisset, ab eo
 Franciscus, qui se offerebat, exclusus est, verante
 muliere exterum ullum admitti: & ecce tibi in
 ejus oculis tœdâ procellâ coortâ, navigium flucti-
 bus haustum derepentè est, sic ut nec vectorum
 ullus, nec res profus ulla évaserit. Ita, undarum
 naufragio ereptus Franciscus est, quem Deus tan-

(g) Cant. 1. & 2. (h) Psal. 70. quam

quam acceptissimum holocaustum quoddam, igni
flammisque reservaret.

Hoc verò defunctus periculo, in aliud incidit,
at leuius: ubi alteram navem conscenderat, exortâ
continuo, vi ventorum, tempestate, nauclerus, ho-
mo præfervidus, insanèque iracundus, convitiis
asperioribus Franciscum nihil tale nec cogitan-
tem nec promerentem indignè laceffere, nulla pla-
nè de causa: neque enim is profectò vector erat,
in quem perinde atquè in Jonam olim, conferri
posset causa tempestatis, ut potiùs ejus intuitu se-
dâsse procellam Dominus videatur: suâ quidem
mansuetudine hominem furentem placavit: cùm-
que Deagius moderator ille primus Francisci ata-
tulæ, indignitatem eam non ferens, stolidi nebu-
lonis procacitatem retundere institueret; Cave
faxis, inquit Franciscus: nondum ille satis est
compos sui; ut objurgatio tua proffit: expecte-
mus tantisper dum se ipse respiciat. Tum, ubi
venti posuerant, seductum hominem sic Fran-
ciscus affatur: Nam quæ te mala mens egerat,
noster nauclere, ut eò usque stomacho & ira-
cundiâ efferbueris? elementa in nos conjura-
bant: ingenti quodam metu, ac propè horrore
percelli debebamus eâ periculi magnitudine:
mors imminebat in momenta: & tamen eje-
rans, verbâque blasphema complura evomens,
non modò non ad summi Dei opem ipse con-
fugiebas, qui unus eripere nos tanto discrimini
poterat, sed etiam interturbabas precantes. Aliàs
moderare ipse tibi, estóque cautior, ac me-
mento, summum Deum, ut rerum creatarum

“ aliarum, sic pelagi, tempestatum, procellarum,
 “ ventorum, tranquillitatis præpotentem esse.
 Quæ verba tanta suavitate, caritatēque condidit,
 ut homo præfractâ antè audaciâ, præcipiti que
 imprimis ingenio, mollitus, tractabiliorem deinceps se se præbuerit.

Præterea aliquid profectum in Franciscum ab alio, quod juveni clarissimis natalibus non potuit non esse grave: & erubuit quidem: sed Christi Jesu memor, quem tam indignè infelicissimè mortales habuerunt, totum illud constantissimè tulit. Et præterea occupata tunc mente ejus erat in acerbiori dolore, quem pudicissimo juveni inussit sodalium cujuspiam flagitium, qui in Francisci oculis in lupanar se coniecit. Sauciavit intimè hæc fœditas castissimum juvenem, atque adeò ubi primum se dedit opportunitas, perditum adolescentem sic objurgavit, ut positâ ob oculos peccati gravitate, & infelicissimo animæ statu tanquam in horribili tabula depicto, unâ cum certissimo sempiternæ salutis periculo quod adisset, quodque aditurus esset, nisi resipisceret, atque à turpissima illa licentia discederet; tandem eum à flagitiosa vita ad honestatem traduxerit, incusantem ultro superioris ætatis intemperans institutum, cujus sordes ac maculas seriâ ad Deum conversione castigavit. Sic nimirum fortes viri nihili faciunt æstimationem in vulgus, dum animas, quarum jacketuram deplorant, lugentque, eripiant naufragio per sinceram peccatorum detestationem, quæ fontes ipsi defleant. Procul ergo Franciscus à justissima illa S. Augustini objurgatione absuit, non fer-

rentis

rentis à Christianis hominibus plangi carnem, quam non possint suscitare; animam mortuam non plangi, quam possint per pœnitentiam ad statum pristinum revocare. (i)

(i) S. Aug. serm. 41. de Sanctis.

CAPUT VIII.

Franciscum in Sabaudiam redeuntē parentes de conjugio interpellant: ipse oblatam dignitatem Ecclesiasticam acceptat.

PEREGRINI nostri reditus parentes singulari quodam gaudio cumulavit, tantaque perfudit oblectatione, ut eorum juventutem sicut aquilæ renovasse dici potuerit. In eum videlicet intuebantur, tanquam in certissimum columen, ornamentumque familiæ, & in quo jucundissimè acquiescebant: in ejusdemque gratulantis lætitiæ communionem venerunt, tum propinqui, affines, amicique quotquot erant, tum imprimis Illustrissimus Episcopus Gebennensis, qui Francisci indolem sic deamare cœpit eâ ipsâ die, quâ primùm ad eum officii causâ Juvenis adit, ut familiari illius sermone, & bonitate naturæ, suprâ quàm dici queat delectatus, vix eum à se dimittere potuerit. Et verò cùm eo ipso tempore examinandos sese stitissent Sacerdotes quidam, ad obtinenda de more Beneficia Ecclesiastica, quæ vocant; precatu est ab eo bonus Præsul interesse examini ne gravaretur: cùm abnuere ausus non esset, evēnit inopinatò, ut examinatione in disputationem conversâ, & calentem quidem, discordantibus, ut sit, super proposita quæstione quadam sententiis;

tiis; Episcopus haud satis videns quid potissimum
 definiret, Franciscum invitavit ad aperiendum
 quid de re controversa sentiret. Hic verò novus
 Theologus initio tergiversans, præfatusque mo-
 destissimè, juniorem se esse, quàm ut coram tam
 claris Doctoribus, & quod majus esset, coram E-
 piscopo suo disputaret in causa sanè impedita
 & perplexa; urgente tamen Præsule, ceteris au-
 dire aventibus; morem gerens denique, statim
 declaravit, verissimum esse illud Psalmogra-
 phi: (a) *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus
 loquetur judicium*: adeò dilucidè, & tam patetis, no-
 dos omnes difficultatum utrinque propositarum
 solvit Franciscus, & tam peritè, scilicet, ut ejus sen-
 tentiæ conventus totus steterit, nec sine admira-
 tione eorum qui intererant: quippe qui vix ac ne
 vix quidem antè sibi persuadere potuissent, fieri
 posse ut à Juvene hujus ætatis, quæstiones Theo-
 logicæ obscuræ & intricatæ in paucis, tam facile,
 tantaque cum perspicuitate explicarentur. Ipse
 adeò Antistes gaudium inter, admirationemque
 alternans, illustriq; prælagitione, *Quid, inquit, de no-
 bili illo Juvene sentitis? extra dubitationem eximie San-
 ctus quandoque futurus est, mihi que in Episcopatu succedet.*
 Sanè si de futura vel Platonis, vel ipsius S. Ambrosii
 eloquentia judicium ferri potuit, quòd in utriusq;
 infantuli labellis apes confederunt; quid non tan-
 dem illustre de novo Doctore præjudicari debe-
 at, cujus os mel fundat tantæ eruditionis, cum tan-
 ta eloquentia conjunctæ?

Quæ cum ita essent, nihilo tamen seciùs patet
 cum ad alia omnia destinabat. Camberium obe-

(a) Psal. 36.

dientem filium mittit, ut quandoquidem Juri Ci-
 vili operam daret, ut diximus; in Advocatorum
 album rite ac legitime accenseretur. Atque hic et-
 iam quis quantusque Franciscus jam tum esset,
 præclare innotuit: ita Augusto Senatui satisfacit
 tum in examine, tum in actione deinde gratiarum
 publica, ut cunctis admirationem sui concitavit.
 In eo totus fuit ut ostenderet, Justitiam præstan-
 tissimam omnium virtutum esse, & invictum quid-
 dam, cujus origo è cælo sit, cujus parens Deus;
 hac stabiliri pacem populorum, hanc civitates tue-
 ri & protegere, hereditatem esse filiorum regni;
 qui Judices ac Magistratus suum cuique legitime
 tribuant, serventque fidem intemeratè, nis esse
 cur sperent, se vitâ beatâ aliquando in cælo frui-
 turos. Ita præstans Orator inter cetera id evicit
 ab iis ad quos verba faciebat, ut sibi persuaserint
 æquissimum esse laudes congerere certatim in me-
 rentem. Iple adeò Præses D. Pobellus tum Fran-
 cisci dotes eximias alias, tum eruditionem admi-
 rans, continere se non potuit, quin diceret, nemi-
 nem unquam à se ad id munus admissum tam soli-
 dè doctum, tanto judicio præditum, tam illustri-
 bus dotibus aliis, cum tanta conjunctis claritudine
 natalium.

Nunc ad patrem redeuntis relegamus vestigia:
 in singulis enim inest aliquid dignum observatio-
 ne. In itinere quod eques emetiebatur, finente
 Domino Deo, ter sub illo equus subsedit intra bre-
 ve temporis intervallum: ter, quod mirere, ensis è
 vagina profiluit sic, ut cum eadem cancellatus, cru-
 cem efformaverit: id verò animadvertens lynceus
 jam

44 VITÆ B. FRANCISCI SALESII
jam tum eo in genere Juvenis, *Video*, inquit, *Modera-*
torem illum suum compellans, vocor à Domino
Deo ad Crucem, non ad vitæ secularis curas: ex eoque
momento supremum Numen sanctè venerans,
constituit ferre constanter Crucem, hoc est, æquo
& forti animo tolerare quidquid acerbitatum
summus Dominus oblaturus esset quòquo modo.

Potrò, ut hominum consilia sæpe à divinis con-
siliis discrepant, vix paternas ædes attigerat, cum
sermo injicitur de uxore ipsi legenda: at Franciscus
qui tanquam unus ex iis, qui per innocentiam, ca-
stimoniamque illibatam, nuptias Agni cogitant,
eum secuturi quocunque iërit, gnarus quid à patre
tractaretur; ei amicorum cui maximè confidebat,
“ intimos animi sensus aperuit in hæc verba: Vir-
“ ginem vidi, quam ad conjugium offert mihi
“ pater meus: illa virum meretur digniorem: ego
“ verò singularem in modum lætor, sæpenumerò
“ intùs in animo à Domino Deo inculcari mihi il-
“ lud Davidicum: (b) *In domum Domini ibimus; &*
“ *Hic habitabo, quoniam elegi eam: Dominus pars mea*
“ *in æternum.* Mihi crede: nullam unquam hic a-
“ nimus propensionè sensit ad copulandas in ter-
“ ra per conjugium affinitates: nullas unquam
“ nuptias cogitavit, nisi vitæ Clericalis, in acerbita-
“ tatibus Calvariæ, inque intima conjunctione
cum Jesu Christo Crucifixo. Et, commodùm,
sub idem tempus redditæ sunt Româ literæ cui-
dam ex Francisci consanguineis, qui ipso inscio
perfecerat apud Curiam, ut summus Pontifex
Franciscum Præpositum Gebennensem rite jube-
ret esse, quæ dignitas tunc vacabat. Id postquam

(b) *Psal. 122. & 137.*

signi-

significaverat idem ille, cujus curâ diligentiaque
 transacta res erat, arreptâ occasione Franciscus lu-
 benter utens, patrem sic interpellat, vultu & ser-
 mone ad singularem quandam observantiâ com-
 posito: Possimne, inquit, abs te, mi pater, impe-
 trare quiddam, quod in maximi beneficii loco
 sim repositurus, & ita quidem, ut propositum
 mihi sit, nihil unquam aliud posthac à te petere?
 Rogo vehementer, per te mihi ut liceat Cleri-
 calem vitam amplecti, & uti beneficio conso-
 brini hujus mei, (c) qui literas hæc Apostolicas
 (Pontificium diploma habebat in manibus)
 curavit mihi, & inscio, quibus renuncior Præ-
 positus Ecclesiæ S. Petri Gebennensis, quæ di-
 gnitas prima est ab Episcopatu. Perculit bo-
 num senem tam inopinata oratio, & commovit
 adeò, ut penè animus eum liquerit: ut se collegit
 tamen, *Vndenam*, inquit, *mi fili, consilium tam mihi*
inexpectatum? speraveram te solatium senectutis meæ fore,
& abscedis tam curo? fratres habes, quibus te pro patre fu-
turum putaveram. postquam mortalitati concessero; neque
id in longum tempus dilatum iri ipse perspicis: quippe sen-
sim emorior. Mihi crede: eget tempore ista deliberatio.
 Ubi conticuerat, subjicit Franciscus: Ad extre-
 mum quidem usque spiritum te colam, mi pa-
 ter, tibi que famulabor: nec secius adero fratri-
 bus meis, operâ, consilio, uno verbo, quacunq;
 re poterò: ad vitæ autem institutum hocce
 quod attinet, inde à prima ætate ad Ecclesiam
 vocatus sum. Lutetiæ primùm id facere consti-
 tui: Patavii propositum idem iteravi: ad Lau-
 rera-

(c) Salesius Canonicus Gebennensis fuit.

“ retanam verò Eadem confirmavi, facturum me
 “ utique quod proposueram. Itaque cum Do-
 “ minus Deus tot tamque variis animi per motio-
 “ nibus, totque rationibus non unius generis mi-
 “ hi significaverit id se à me velle, precor à te, mi-
 “ pater, vehementem in modum, per te mihi li-
 “ ceat Deum vocantem sequi: id si concesseris,
 “ nihil superest quod à te expeam prætereà. Au-
 “ diebat bonus senex, perfusus lacrymis, loquen-
 “ tem filium, vel potius Deum, per filium decla-
 “ rantem quid ab eo exigeret: quare non ausus ul-
 “ trà repugnare, Si ita est, inquit, age sanè mi fili:
 “ morem gero Deo: *durum est contrà stimulum cal-
 “ citrare.* (d) Benedicat tibi millies, ille idem Do-
 “ minus Deus, cujus instinctu tale vitæ genus am-
 “ plecteris: ego item illius nomine tibi benedi-
 “ co. Et patris exemplum secuta mater, lectissima
 “ femina, filio quoque benedixit, inter parentum
 “ fletus exultanti: atque hinc humi prostratus, in-
 “ que cælum intuens, *Dirupisti,* inquit, *vincula mea:
 “ tibi sacrificabo hostiam laudis.* (e) Quod tam diu
 “ concupieram, nunc teneo: neque quidquam
 “ deinceps video, quod me tibi suffurari possit, aut
 “ subripere.

Ex eo verò momento laicam vestem Clericali
 mutavit, omnibus incessens lætitiis, quòd veterem
 hominem exuere liceret, induere novum, sic, ut ni-
 hil deinceps occurreret faciendum, nisi ut nome-
 Dei sanctificaret pleniùs, fines regni Dei propaga-
 ret, Dei voluntatem faceret. Itaque paulò post
 oblati Capitulo S. Petri, literis Apostolicis, ad
 Præposituram admissus est, eà admittentium ste-

(d) Act. 5. (e) Psal. 115.

dii significatione, quam præclara Juvenis merita exigebant. Ergo perge, Francisce: & quando te agit spiritus Dei, ne detrecta munus ad quod vocaris. Neque verò periculum est, ne illud tibi in probri loco objiciatur, quod in infelices illos torquet Propheta: (f) *Ipsi regnaverunt, & non ex me*: neque quod Christus Dominus exprobrabat Pharisæis, (g) *Amant primas cathedras in Synagogis*. Nimirum laborem quæritas, refugis à gloria, ut eam totam in Deum tuum conferas.

(f) Osee 8. (g) Matth. 23.

CAPUT IX.

Initiatur sacris Ordinibus: Concionem primam habet ad populum: Confraternitatem Pœnitentium S. Crucis instituit.

INTELLIGENS Franciscus vocari se à Deo, ad dispensationem gratiarum Dei in populos, planè sibi faciendum existimavit, ut tam augusto Ministerio illigaret se se, sacris suscipiendis Ordinibus. Nec moratus, ubi primùm Diaconatu insignitus est magnanimus Levita, spiritu Dei plenus, à quo agebatur, addixit proflus se se muneris sui functionibus perfectâ abdicatione rerum omnium creaturarum. Constituerat per se ultro Dux Sabaudia, à nullo quoquam interpellatus, Franciscum Senatoriâ dignitate augere: id ubi renunciatum propinquis, instant, delato honore uti ne prætermittat: neque enim id muneris pugnare cum novo statu quem capessivisset, maximè cum id ad decus

orna-

ornamentū, neque familiæ non parū collaturū
 esset. At religiosus Juvenis, Non sunt, inquit,
 miscenda sacra profanis: *Nemo potest duobus do-*
minus servire: (a) ego cum me Ecclesiasticis mini-
 steriis addixerim, totus deinceps in eo esse vo-
 lo, ut verbum Dei prædicem: quandoquidem
 ei qui cuncta reliquit propter Deum, omnia
 Dei causâ facienda sunt: cibus ipse submini-
 strandus corpori idcirco, ut famuletur corpori
 spiritui, durêrque ad mentis labores; studium
 capessendum ideo, ut juvetur proximus; virtu-
 tum ipsarum actiones usurpandæ eo modo quo
 vult Deus, non ex insita cujusque ingenio pro-
 clivitate.

Quare cum novum Diaconum videret Illu-
 strissimus Episcopus Gebennensis spiritu sapientia
 intellectus à Deo impletum esse, institit apud eum
 in medio Ecclesia os aperiret, (b) ad regnum Dei annun-
 ciandum populis. Is mandatum more Apostoli
 cum perfectæ cujusdam observantiæ significa-
 tione capessens, *In verbo*, inquit, *tuo laxabo rete* (c)
 atque adeò comparare se se ad tam augustum mi-
 nisterium frequenti precatione, aliisque virtutum
 ad id conducentium exercitationibus instituit.
 Dicta dies erat primæ concioni habendæ ad po-
 pulum, festa Corporis Christi celebritas: sed
 improvise advēnit sub id tempus Ecclesiastes in-
 signis, quem audire de sacro suggestu verba fac-
 entem aiebat pridem pius Episcopus. Id cum no-
 ignoraret modestus Diaconus, ultro ad Ecclesia-
 stem adit confestim, rogâque, uti suo loco concio-

(a) Matth. 6. (b) Eccl. 15. (c) Luc. 5.

nem eâ luce habeat: eo annuente, ut os ejus in
 eam diem referaverat obedientia, ita oclusis
 Christiana humilitas: constitutum ergo consensu,
 concionaturum Diaconum festâ luce S. Joannis
 Baptistæ, quæ quidem eo anno in octavam Cor-
 poris Christi incidit: mandatum autem optimi
 Antistitis traditum primùm erat diebus iis, quibus
 mentionem faciebat Ecclesia, missorum à Christo
 Apostolorum ad prædicandum, in hæc verba, *E-*
untes ergo, docete omnes gentes, docentes eos servare omnia
quæcunque mandavi vobis: (d) ita eodem tempore
 jussus est Diaconus noster verba facere ad popu-
 lum, quo Apostolis suis augustam illam provinci-
 am Jesus Christus demandavit. Argumentum
 concionis fuit, Christus Jesus, re in S. Eucharistia
 præsens: quod quidem dogma fidei sic firmamen-
 tis argumentorum stabilivit, ut dubitationem adi-
 meret; tam aptè ad corda inflammanda tractavit,
 ut audientes plerique omnes constituerint sacra-
 mentam adire deinceps eo sensu humilitatis, cari-
 tatis, venerationis, ad quem incensi Ecclesiastæ in-
 citaverat oratio. Tres, inter ceteros, viri conspicui
 sic commoti sunt, ut paulò post, eorum in melius
 mutatio miram approbationem tulerit in vulgus:
 aliorum plerisque obortæ lacrymæ sunt, aut extor-
 ta mira novi Concionatoris laudatio, quæ cum
 exultatione proferret ea quæ intus in animo vehe-
 mens illa oratio effecisset. Superabat autem o-
 mnes optimus Episcopus, qui perfusus lacrymis,
 adstantes hunc in modum compellabat; Nam

D quid

(d) *Matth. 28.*

quid vobis videtur de filio hoc meo? an non
 de Dei mirabilibus sublimem in modum locu-
 tusest? an non *Propheta surrexit* in nobis potens
 opere & sermone, ad dandam scientiam salutis ple-
 bi DEI, in remissionem peccatorum eorum? (e)

Hæc tanquam propheticè dixisse videri possit
 pius Antistes, si reputes, in ore indignissimi Pontifi-
 cis prophetiam quondam vim suam exeruisse ad-
 versus Pontificis ejusdem malitiam, imposturam
 que: si enim vir nequissimus vaticinatus est, vel
 invitus; quantò æquius qui religiosissimus Anti-
 stes censi debet prædixisse per prophetiam,
 quid Dominus Deus designasset super novo Ec-
 clesiaste tot talentis donato, adhibendo ad excelsa
 illa munia, tam salutariter ad populorum utilita-
 tes? Et penè continuo prædictionem eventus se-
 cutus est: primum omnium tanquam à funda-
 mento, sic à Cruce orsus est; cui ut adoratorum
 conciliaret quàm posset plurimos, Sodalitatem in-
 stituit Pœnitentium, instar Romanæ illius, quæ
 Sancti Crucifixi dicitur; cujus quidem in institu-
 tis, illud Sodalibus præscribit potissimum, ut pe-
 culiari quadam veneratione adorandum illud si-
 gnum humanæ salutis prosequantur, in eaque in-
 cumbant opera caritatis, quæ Christus Jesus à
 Cruce docens, & in Cruce moriens, commenda-
 vit vel maximè; preces, jejunia, usum sacra-
 Confessionis Synaxeosque frequentem indicit
 tanquam certissima subsidia ad pacandas discor-
 dias, rixas componendas, extinguendos odiorum

(e) LUC. 7. & 2.

fomites, cœlestem flammam caritatis in proximorum cordibus accendendam.

Atque ut non magis institutione quam exemplo, facem præferret Sodalibus, cum certis indicibus didicisset, Anecii dissidere inter se odiis quosdam, tam inveteratis, ut de reconcilianda amicitia mentionem nullam admitterent; adiit ad eos, hancque orationem habuit: Num ignoratis, fratres mei, quandoquidem præceptum nobis à Deo est, ut vel inimicos diligamus, nobis non licere odisse quemquam? fieri ne potest ut Christiano nomine gloriemini, nec tamen inter vos diligatis? Allatam vobis injuriam causamini: ego verò respondeo, haud difficillimum esse ignoscere ei, à quo nullâ unquam injuriâ sis lacessitus: sed nihil excelsius, nihil homine Christiano dignius, quam illud sibi persuadere, *Neminem lædi nisi à se ipso*. Terri dæmones sunt, non homines, qui homines alios ab aliis disjungunt per discordias; illos nequam spiritus inculcate, non fratres germanos vestros, qui ut in vita mortali, sic in illa beata atque immortalis focii vobis esse possunt. Mihi credite: frangit pontem, per quem omnino transeundum sibi sit, quisquis ignosci sibi cupit à Domino Deo, intetere, dum similtates exercet cum hominibus aliis, sui similibus: & iniqua est illius postulatio, qui ab justissimo rerum nostratum administratore poscat id sibi concedi, quod negat ipse proximo. Prætereà, illud pro certissimo habetote, nequaquam inter heredes Dei numeratum iri, qui filii ejusdem Dei testamentum violat, aspernatúrque quæ ipse

D 2

tam

» tam sibi cordi esse declaravit moriens: frustra
 » is, quisquis est, sperat se in communionem he-
 » reditatis venturum, aut mercedis illius quæ ex-
 » pectare nos iussit in vita beata. Evicit hæc tam
 incensa oratio id quod sequebatur Orator: diffi-
 dentes illi planè perfectèque redière in gratiam.

Sodales autem toti erant in visendis, solandis,
 erudiendis, re & consilio juvandis ægrotis, capti-
 vis, egentibus: quocunque Christus Jesus in au-
 gusta Eucharistia deferretur, eò advolabant: quæ
 Regulæ Sodalitatis essent, intelligeres abundè, ex
 iis quæ piè religioseque usurpabant: statuta qui-
 dem certè omnia observabant quàm exactissimè.
 Quid verò mirum, eos tam sedulò invigilâsse in
 perficienda ea quæ præscribebantur, quando qui-
 dem exemplis anteibat suis, is qui præscripserat?
 Semper Francisci facta Francisci verbis anteibant:
 nec rei cuiusquam faciendæ auctor erat aliis, quam
 non primus omnium faceret.

Itaque primarii quique tum Anecienses, tum
 vicini, ubi primùm de illa Sodalitate sub nomine
 Pœnitentium S. Crucis Anecii erectâ audierunt,
 tam rapacibus exemplis allecti, ultro eidem dare
 nomen quisque suum: & tam uberem benedictio-
 nem dedit supremus Legislator inde usque ab ini-
 tio, ut finitimos quosque ad eam ineundam boni
 exempli odor traxerit. Significaverunt Fundatori
 non Aquenses solùm, (Aquenses voco ab Aquis,
 oppido Allobrogum) sed etiam Camberientes,
 cupere se in eam aggregari: proinde quid factò
 opus esset, significare ubi ne gravaretur: at is, cui
 nihil esset antiquius, quàm omnia omnibus fieri,
 ut

ut omnes Christo lucrifaceret, avidissimè arripuit occasionem spirituales eorum utilitates promovendi. Sodales igitur convocat, & institutâ Supplicatione, nudis pedibus binos ductat Aquas usque, quo conventuri Camberientes quoque erant; quò unâ omnibus capeissentibus quæ traderet religiosus Institutor, feliciorè uberiorèque successum res haberet.

Procedemus, ajebat, nudis pedibus, quoniam am credimus locum ad quem pergimus, sanctum esse, lignum illud infiniti pretii bajulantes, in quo Deus majoribus se nostris manifestavit, longè ardentiori caritate, quàm Moysi in rubo. Vera erit nostra Fraternitas, inita coram sacro ligno hocce, quod cælum terræ reconciliavit: cunctis deinceps inerit sensus idem, & lex perpetua in id incumbendi, ut filii Dei verè simus, quandoquidem illum unum in sancta Cruce suspicimus.

Duo in audientium mentibus effecit hæc oratio: alterum, ut secum quisque constituerit ferre æquo animo quascunque Cruces missurus esset Dominus Deus; alterum, ut ex eo momento coaluerit inter eosdem sancta quædam necessitudo, mutuâ singulorum pollicitatione firmata. Quæ tam pia institutio uti gaudium sanctis Angelis, ita fomitem invidentiæ tetræ dæmonibus subministravit, ringentibus tantum honoris deferri sancto ligno, quo ad se vincendos tanquam instrumento uti, Domino Deo visum erat. Itaque instigat unum ex Gebennensibus administris suis, ad illud

D 3. proz

54 VITÆ B. FRANCISCI SALESII
proscindendum maledictis quoad posset, libelle
edito de argumento tam infami. Sed non diù dis-
tulit Beatus edere Apologiam tantæ efficacitatis,
ut statim atque in lucem prodiit, nihil ausus mutire
contrà impius, planè siluerit. Et verò, quid oppo-
neret blasphemus Scriptor, consensui primorum
seculorum nascentis Ecclesiæ, quo tempore tanta
vulgò erat sanctæ Crucis veneratio? quid SS. Pa-
trum encomiis, à quibus passim signum illud red-
empti humani generis commendatur tanquam
breviarium fidei, succus Religionis, laus Trinita-
tis, invocatio Dei, Christiani galea, scutum Evan-
gelii, vexillum Christianorum, flagellum dæmo-
num, quod eos agit in fugam, terror potestatum
Tartarearum omnium, Altarium ornamentum,
victoria Ecclesiæ ex hostibus, trophæum denique
triumphorum, quos eadem undecunque retulit?

C A P U T X.

*Sacerdos factus ad sacrificandum primò,
se comparat.*

ANGELUS noster, carne amictus, tanquam sidus
effulgens inter nebulas gloriæ, affixus est firmam-
mento Ecclesiæ per Sacerdotium; quem ad Ordine-
nem suscipiendum tam exactè semet ipse, tamque
solicite comparavit, ut de eo prædicari merito
queat; *Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit
Deo: beatificavit illum, & elegit ipsum offerre Deo incen-
sum, & bonum odorem, fungi sanctè Sacerdotio.* (a) Eam
verò vir sanctus dignitatem tam sublimem existi-
mabat esse, ut ejus præstantiam declararet hisce
verbis:

(a) Ecclesiastic. 45.

verbis: Dum aliquem Sacerdotem esse dici-
 mus, uno verbo complectimur omnia: quid
 enim ea vox designat nisi Regem? quisquis Sa-
 cerdotio præditus est in communionem adsci-
 scitur gradûs cuiusdã quisit in terra celsissimus.
 Et ego quidem, si mihi à Deo deferretur digni-
 tas Angelica, non arbitrer me illam tam reve-
 renter accipere debere, ac Sacerdotium: facul-
 tas enim consecrandi corpus & sanguinem fi-
 llii Dei, non sine prævia longa, maturaque deli-
 beratione suscipienda est, ne in imo Calice ju-
 dicialium meum conscriptum reperiam. Nec mi-
 rari nequeo confidentiam meã, dum accedo ad
 altare, quod Sanctorum tam multi aspicerè ausi
 non sunt, nedum tangere: planè tam sublimis
 est ista dignitas, ut ne ipsi quidem beati Angeli
 contemplari eam possint, quin in illius admira-
 tionem rapiantur. Ac nostrum quidem Sacer-
 dotem. depingere voluisse videtur S. Hierony-
 mus, (b) mundum in pectore, cogitationibus; va-
 lidum in brachio, bonis operibus; zelo æstuantem,
 & fidelissimo quidem, ardentem animo, lucentem
 exemplo: ut dici meritò queat, illum sacrã eã un-
 ctione per manus consecrantis Antistitis, divini
 spiritûs plenitudinem accepisse. Aiebat quidem,
 se, dum ad Sacerdotium à Deo vocatus est, segre-
 gatam ab eodem fuisse ex mundo, ad animas fido-
 lum, exemplo & verbo, ad virtutis studium tra-
 hendas: Sacerdotem invictum in laboribus esse
 debere, inculpatum in moribus: mente tantã fan-

D 4

Cita-

(b) *Epist. 138. ad Fabiolam.*

ctitate abundantia, ut ea etiam ad exteriorem hominis habitum derivetur, sic, ut quisquis in eum conjiciat oculos, deducatur à vitiis, ad virtutis studium incitetur: populum enim sic in Sacerdotem intueri, tanquam in morum suorum exemplar.

Ergo factorum splendorem Franciscus cum novæ dignitatis gloria conjungens, tam sanctum se hominum oculis objecit, quam celso loco, ministerii ratione, apud Deum esse cœperat. Hunc in modum comparatus primum Sacrificium obtulit, ascenditque feliciter *in montem Domini innescens manibus, & mundo corde: (c)* ita ut minus mirum sit, eo in Sacrificio fulgorem quendam ejus in vultu enituisse: certè, quoties deinceps sacrificavit æstare videbatur purissimi amoris flammis, quæ ipsius pectus in altari adolebant, tamque perfectè abigebant rerum creaturarum quarumcunque imagines, ut ipse nonnemini eorum, quibuscumque altissima intercedebat ipsi necessitudo, dixerit non dubitanter, Ubi primum se ad altare obverteret, evanescere continuo solitas ex animo cogitationes quaslibet, quæ terram saperent.

Hinc proclive est æstimare, quantam lætitiæ segetem subministrarent ejus parentibus, tam faultiva initia: planè nullus fuit, quin jam tum ejus ministerio uti quamprimum cuperet, & avidissimè quædam, seu ad Sacramenta, seu ad salutaria consilia institutionemque Christianam, & eâ scilicet observantiæ significatione, quâ S. Thomas tradit Sacerdotem à pœnitente aspectari debere, hoc est tanquam

(c) Psalm. 23.

tanquam vicarium Dei in terris, & tanquam Solem in Ecclesia Dei. Nec verò in eo pia opinio fallebatur: etenim Evangelii face, quod tanto cum fructu disseminabat, ut admirationi vulgò esset, tanquam non indignus Apostolorum successor, dissipavit caliginem vitiorum, hæreseônque tenebras. Novum Evangelistam crederes, qui unus intra annorum quadraginta spatium animas plures Deo lucrifecerit, quàm alii plerique, itidem ut ille, verbi ministerio dicati, intra plura sæcula converterint.



D S VITÆ